

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JURISDICTIONE:

Quam

D. O. M. A.

PRÆSIDE

Clariss. Excell. & Consultissimo
VIRO,

DN. GEORGIO DAVIDE LOCAMERO,
Jcto, ET IN INCLUTA ARGENTORA-
tensium Academiâ Professore celeberrimo, Fautore
& Præceptore suo aviternum
colendo,

Disputandam Publicè proponit

GABRIEL ÖLHAFIUS à Schlenbach/
Norimbergensis.

Ad diem Mart. Anno M. DC. XXVII.
In Auditorio Majori.

✠ (:) ✠

✠

ARGENTORATI,
Excudebat PAULUS LEDERTZ,

599.
7x

1627 11.
XVIII.

8

3.

23



DISPUTATIO JURIS
DE
JURISDICTIONE

DI. GEORGIO DAVIDE LOGAMERO
JURISCONSULTO AC ACADEMICO
PUBLICO PROFESSORE JURIS
IN ACADEMIA ALMA M. D. C. C. C. C.

IN ACADEMIA ALMA M. D. C. C. C. C.
PUBLICO PROFESSORE JURIS
IN ACADEMIA ALMA M. D. C. C. C. C.

GABRIELE CUNEIFILII
M. D. C. C. C. C.

AR. GENTORATI
M. D. C. C. C. C.

AR. GENTORATI
M. D. C. C. C. C.





600.

DE JURISDICTIONE

THESIS I.



JURISDICTIONE à jure dicendo appellatur: ut norunt omnes, qui Latine sciunt.

I I.

Usurpatur autem id verbum in Jure Justiniano variè.

I I I.

Ac primò quidem pro *νομοδωρία*, hoc est, Juris publicè omnibus constituendi potestate. ut §. 1. *ibi*, quas Prætor ex sua Jurisdictione constituit. *Inst. de oblig. §. sed iste*; *ibi*, quas prætor ex sua Jurisdictione comparatas habet. *Inst. de act. l. stipulationum. §. in pr. ibi*, nam & hæ ab Jurisdictione veniunt. *D. de V. O. l. 2. §. eodem tempore. 10. ibi*, Jura reddebant. & paulò post, edicta proponebant. *D. de O. I.* Quæ quidem potestas olim in Republ. Romanâ variis Magistratibus competiit, dictis locis: postea verò solius Principis esse cepit. *l. ult. C. de legib.*

I V.

Secundò pro *δικαιοδοσία*, hoc est, Juris constituti, privatim singulis reddendi potestate, ut *tot. tit. D. de off. eius, cui mand. est Jurid. & alibi passim.*

V.

Tertiò per metonymiam effecti, pro Edicto Prætoris, ut in albo propositum est, aliòve præscripto, ex quo juris redditio fit. ut *in l. 2. ibi*, perpetua Jurisdictione. *C. de restit. mil. l. 1. ibi*, Jurisdictionis forma. *C. ubi in rem act. l. postquam. §. ibi*, ex forma Jurisdictionis. *D. ut legat. l. si filia. 20. in pr. ibi*, Jurisdictionis formam. *D. fam. ercisc. junctæ l. 2. ibi*, edicti negligi forma. *C. de condit. insert. l. 2. ibi*, Jurisdictionis tenor. *C. de bon. au. h. jud. post. l. 2. ibi*, Jurisdictionis ord. nem. *D. de extraord. cognit.* Quæ Jurisdictionis magis origo est, ut vocatur *in l. 2. C. de cond. insert. quàm Jurisdictio ipsa.*

A 2

V I.

Quartò & postremò per metonymiam causæ pro exercitio seu actu Jurisdictionis, ut in *l. quamvis. ii. ibi, moderandam Jurisdictionem. D. de in jus voc. l. postquam. §. 1. in f. ibi, Jurisdictione restituenda. D. ut legat. l. nam ut ait. 3. ibi, Jurisdictione suppleri. D. de legib. l. si res obligat. a. 57. in f. ibi, per Jurisdictionem Præsidis præstabitur. D. de leg. 1. l. sed etsi. 26. §. 3. & adjicitur. 6. ibi, Jurisdictionem ei denegavit. D. ex quib. caus. maj. l. un. in pr. ibi, Jurisdictionem suam dese. dere. & §. 2. ibi, quod extremum in Jurisdictione est. D. si quis jus dic. non obtemp.*

V I I.

Omnium verò istarum usitatissima, maximeque propria est significatio secunda: quod pleriq; loci alij, quibus Jurisdictionis mentio occurrit, evidenter ostendunt.

V I I I.

Cætèrùm & de eâ significatione observandum quòd sumenda sit interdum strictius; ut comprehendat solam Jurisdictionem civilem, eamque ordinariam: interdum latius; ut & criminalem & extraordinariam complectatur: ut patebit ex seqq.

I X.

Priori modo accepta Jurisdictione (de posteriori vid. inf. §. 26.) definiti potest cum Cujac. quod sit notio jure Magistratus competens.

X.

Quod enim Notio sit genus Jurisdictionis, patet non tantum ex *l. i. §. initio. 4. in f. D. de off. præf. urb. l. ex omnibus. 10. in f. D. de off. præf. (quibus utrisque in locis, generale verbum Notionis, pro ipsâ Jurisdictione commodissimè accipitur) sed & evidentius ex *l. ait Prætor. 5. pr. D. de re judic. & l. notionem. 99. D. de V. S. ubi non obscure notionis verbum tanquam genus, & Jurisdictionem, & cognitionem in specie sic dictam, complectitur.**

X I.

Est autem Notio, in genere sic dicta, nihil aliud quàm potestas cognoscendi, & (quod inde sequitur. *l. de qua re. 74. D. de jud.*) pronuntiandi de iis, quæ ad Justitiæ administrationem pertinent.

X I I.

Et versatur vel circa quæstionem facti; ut nempè sciatur,

an verum sit factum, quod narratur: vel circa quaestionem juris: quod constat, quid iustum pronuntiandumve sit de facto, quod verum fuit inventum.

X I I I.

Itemq; vel separata sit, solius facti, aut solius juris, in aliis atq; aliis cognoscentium personis: vel conjuncta, facti jurisq; simul, in unâ eademq; cognoscentis personâ.

X I V.

Et quidem ex usu Juris Romani, ordinariè notio Juris erat penes Magistratus: notio autem facti, committebatur iudicibus pedaneis: ut apparet ex l. 2. C. de ped. jud. extra ordinem verò ipsi Magistratus & de jure & de facto cognoscebant. t. r. D. de extra-ord. cognit. l. pecunie. 178. §. actionis. 2. ibi, extra ordin. persecutiones. D. de V. s. junct. l. 2. §. captâ deinde 32. vers. post deinde D. de O. I. & fragm. Vlp. tit. 25. vers. 12.

X V.

Cumque notione de iis, quæ ad Justitiæ administrationem pertinebant, magistratibus simpliciter datâ, tacitè permissam videretur; ut vel ipsi eam (maximè quoad quaestionem juris) expedirent, vel aliis (cùm quoad quaestionem facti, tum etiam quoad quaestionem Juris) expediendam committerent, ut colligi potest ex l. sepè. 8. & seq. D. de off. Praef. l. cum Praetor. 12. §. 1. ibi, quibus id more concessum. D. de iudic. l. 1. D. de de off. ej. cui mand. Ipsi verò Magistratus tum demùm expedire eam tenerentur, cum iis nominatim ac specialiter ea esset tributa: (demonstrato vel certo officio: ut l. 1. §. 2. ibi, tunc Praetor urbanus. D. de reb. eor. qui sub tut. junct. l. 2. §. 1. D. de off. eius cui mand. vel certâ personâ nominatâ: ut l. 1. pr. D. de off. praef. urb. l. & eum 6. in f. D. ad L. lul. de vi publ.) Inde & usus obtinuit, ut ea, quæ simpliciter essent Magistratibus concessa, dicerentur esse Jurisdictionis: ita nempe Magistratibus tributa, ut essent quasi ipsorum propria, expedirenturq; vel per eos ipsos; vel pro voluntate eorum per alios: ea verò quæ nominatim ac specialiter aliquibus, veluti ob singularem quandam industriam electis, committerentur: non Jurisdictionis (quæ fieret ipsorum Magistratuum quasi propria) sed specialis cuiusdam concessionis esse dicerentur: magis nomine magistratum constituentis, quam ipsius Magistratus

constituti expedienda: ideoq; nec alii committenda, nisi nominatim & singularem ob rationem ea ipsa potestas esset concessa. *l. 1. pr. D. de off. ej. cui mand. l. muro. 6. §. tutoris datio. 2. D. de tut. junct. l. pen. D. de off. procons.*

X V I.

Ita planè, ut si salva velimus illa juris Justiniani principia, quod quæcunq; Jurisdictionis sunt, mandari possint: *l. 1. §. 1. ver. s. verius est. D. de off. ej. cui mand. l. solet. 16. ibi, aut omnem. D. de Jurisdic. & sola tamen ea, quæ jure Magistratus competunt, (seu Magistratui ita concessa sunt, ut eius quodammodo sint propria; non ei mandata. *l. ult. pr. D. de off. ej. cui mand.*) mandari possint: *d. l. 1. pr. ibi, quæ verò jure Magistratus competunt, mandari possunt. D. eod. statuere quoq; debeamus, quod omnia ea, quæ Jurisdictionis sunt, jure Magistratus competant: & è converso, quæ jure Magistratus competunt, Jurisdictionis quoq; esse rectè dicantur: & iterum; quæ jure Magistratus non competunt, & quæ mandari nō possunt, ea nec Jurisdictionis (priori scil. isto modo acceptæ) esse rectè dicantur: sed alio, & saltem generaliiori notionis seu cognitionis nomine appellanda sint.**

X V I I.

Sic potestas judicum pedaneorum, non rectè Jurisdictio, at rectè notio seu cognitio appellabitur: ut apertè docet *l. ait prator. 5. D. de re judic.* non alià scil. ratione, quàm quod judices pedanei magistratus non sint, nec eis ut magistratibus, seu jure Magistratus quicquam attribui possit. *fac. l. à Divo, 15. pr. D. de re judic. Nov. 53. cap. 4.*

X V I I I.

Sic & tutoris datio non rectè Jurisdictionis esse dicetur. *l. muro. 6. §. tutoris datio. 2. D. de tut.* idè scil. quod non simpliciter Magistratui, quàm Magistratus est, seu jure Magistratus competit: sed ex speciali concessione ei tribuitur. *d. l. 6. §. 2. junct. l. 1. pr. D. de off. ej. cui mand.*

X I X.

Sic & eadem ratione cognitio de criminibus, non rectè & ex usu juris Justiniani Jurisdictionis, at bene notionis cognitionisve verbo appellabitur. *fac. l. cognitio. 4. D. d. r.*

XX.

Sic & generaliter ea, quae nominatim & specialiter cognitioni & expeditioni ipsorum Magistratuum committuntur, Jurisdictionis verbo, usitate loquendo, non veniunt: hac scilicet ratione, quod illi s mandari nequeunt: ut sunt cognitio super emancipatione, l. ult. ibi, emancipationes quoque legibus celebrare. C. de off. eius qui vicem. l. pen. & ult. C. de emancip. lib. super manumissione & adoptione. l. 2. & seq. D. de off. procons. l. apud. praefectum. 21. D. de manum. vind. super alienatione praediorum pupillarum. l. 1. §. 2. D. de reb. eor. qui subrat. junct. l. 2. §. 1. D. de off. ej. cui mand. super transactione de alimentis. l. cum hi. §. si prator. 17. & seq. D. de transact. super indulgendâ creditoribus leparatione bonorum defuncti: l. 1. §. de his autem. 14. D. de separat. super causâ libertatis & status. l. non distinguemus. 32. §. de liberali. 7. D. de recept. qui arb. de agnoscendis & alendis liberis, l. ult. ibi, praesidibus & ibi, principum constitutionibus. D. de agnosc. & al. lib. omniumque; aded cognitio extraordinaria. tot. tit. D. de extraord. cognit.

XX I.

Nec obstat, quod & de criminibus jus dici, textus ostendant in l. 2. §. & quia 23. D. de O. I. l. Divus. 7. §. 1. D. de jur. patr. & extra ordinem quoque; jus dici expressè legatur in l. 1. §. 1. & §. ludi quoque 6. D. de extraord. cognit.

XX II.

Nam responderi potest, quod jus dicere latius pateat quam Jurisdictio: & usus loquendi restrictiorem fecerit appellationem Jurisdictionis: indeque; argumentum à conjugatis hinc non procedat, quemadmodum nec procedit in aliis similibus: exem. l. Labeo. 64. §. ult. D. de adil. edict. & l. 1. D. de except. junct. l. verbum. 8. §. 1. D. de V. S.

XX III.

Non etiam obstat, quod Jurisdictio alicuius esse dicatur de iis, quae tamen Jurisdictionis esse supra 9. 17. fuerunt negata: ut videre est ex collatione d. l. 6. §. 2. D. de iur. & l. 3. pr. D. de postul. l. 3. §. sed et si. 5. D. judic. fo. v.

XX IV.

Nam respondendum, & hinc aliam atque; aliam vim in phrasibus

bus istis latere. Cùm enim tutela Jurisdictionis esse negatur, hoc significatur, quod non competat jure Magistratus: indeque nec mandari regulariter possit. Cum autè eius esse affirmatur, cuius ea Jurisdictio est: hoc innuitur, quod competat quidem ei qui Jurisdictionem habet, jurisdictionem autem non qualemcunque, sed eam, quæ specialiter ita honorata, & ad pupillorum etiam defensionem, quâ isthæc in tutorum datione consistit, pertinere iusta est.

XXV.

Eodem planè modo, quo & reliqua omnia, quæ Magistratibus specialiter & nominatim lege, vel Senatusconsulto, vel constitutione Principis tributa sunt; iis quidem tributa dici possunt, qui Jurisdictionem, & quidem talem habent. *exem. l. 2. D. de off. proconf.* (undè & forma Jurisdictionis vocatur, secundum quam etiam in criminalibus jus dicitur. *l. Divus. 31. D. ad L. Corn. de fals.*) neq; tamen Jurisdictionis simpliciter esse, jureve Magistratus alicui competere dici queunt. *sepè d. l. 1. pr. D. de off. ej. cui mand.*

XXVI.

Posteriori modo accepta Jurisdictio (*de priori vid. supr. §. 9.*) definiri potest, quod sit notio Magistratus, quâ is ad quæstionem an jus sit, vel experiri liceat, respondet ei, qui de jure suo experiri intendit. *cum coll. lur. Argentor. lib. 2. tit. 1. §. 5.* vel, notio Magistrati competens, in decisione quæstionis an jus sit nec ne consistens *cum Obrecht. tract. de Jurid. lib. 1. c. 8. n. 2.*

XXVII.

Differunt autem duo isti modi evidenter in eo, quod superiori illi definitioni, divisio aliqua Jurisdictionis subungi non possit: huic autem posteriori convenient divisiones aliqua.

XXVIII.

Ac primò quidem, quod Jurisdictio alia sit ordinaria; qua scil. Magistratus ipsam tantùm juris quæstionem expediunt: facti autem quæstionem iudicibus pedaneis committunt: alia autem extraordinaria; qua scil. iidem magistratus & juris & facti quæstionem expediunt. *fac. l. si in aliam. 7. §. ult. D. de off. praconf. lex omnibus. 10. D. de off. praef. l. 2. c. de pedan. jud.*

03

XXXIX.

Deindè, quod Jurisdictio alia sit principalis, sive propria ipsius Magistratus qui eam exercet: *l. & quia. 6. D. Jurisd. & l. more. 5. eod. tit.* (quæ & ordinaria vocatur *t. r. x. de off. jud. ord.* juxta mandata (quæ & delegata dicitur. *t. r. x. de off. & pot. jud. deleg.*) quæ alieno & mandantis alicuius nomine exercetur. *l. i. §. qui mandat am. 1. D. de off. ej. cui mand. est Jurisd. l. more 5. & seq. D. de Jurisd.*

XXX.

Tùm, quod alia sit civilis; quæ in causis civilibus atque pecuniariis occupatur; alia criminalis. quæ circa crimina eorumque accusationes versatur. *Coll. Jur. Argent. dist. lib. 2. tit. 1. §. 24. & Obrecht. d. tr. lib. 1. c. 9. n. 27.*

XXXI.

Quartò, quòd Civilis Jurisdictio rursus vel sit voluntaria: quæ expeditur inter partes sibi invicem consentientes seu conjunctà voluntate eam expetentes: vel contentiosa: quæ ad postulationem alterius tantùm partis, contra partem alteram etiam invitam, adeoque inter contententes aliquos exercetur. *l. 2. D. de off. proconf.*

XXXII.

Quintò & postremò: quòd utraque, hoc est, tam civilis quàm criminalis, sit vel ordinaria; quæ secundum certam formulam, certo solennique ordine, & ad præscriptum legis, olim exercebatur: vel extraordinaria: quæ postea sublatis actionum judiciorumque formulis, & pœnâ etiam criminum in arbitrium judicantium collatâ, in usu esse cepit. *l. actio negotiorum. 47. D. de neg. gest. §. ult. Inst. de interd. t. r. C. de form. & impetr. act. subl. l. ordo. 8. D. de publ. jud. l. hodiè. 13. D. de pœn.*

XXXIII.

Dicitur etiam Jurisdictio aliqua prorogata: sed eo ipso non tam differentia quædam ipsius Jurisdictionis, quàm consensus partiû, jurisdictioni alicui, quæ aliàs declinari posset, sese submittentium, indicatur. *l. si convenerit. 18. D. de Jurisd. l. 1. D. de Ind. l. 1. C. de Jurisd. omn. jud. c. P. & G. 40. x. de off. & pot. jud. deleg.*

XXXIV.

Cæterùm ex usu hodierno, & more loquendi Doctorum

B

com-

communi, Jurisdictio ita latè accipitur, ut ipsam Magistratus cuiusvis potestatem significet: & in tres species, merum nempe imperium, mixtum Imperium, & Jurisdictionem simplicem dividatur.

XXXV.

Rectè quidem si ratio istius acceptionis & divisionis in ipso usu collocetur: at malè si quasi ex jure Justiniano de prompta defendatur.

XXXVI.

Et si enim non omni auctoritate destitueretur, qui sub Jurisdictionis appellatione, ipsam Magistratus potestatem intelligeret. *l. ult. ibi, Jurisdictionem & praeceptionem. & ibi, sub quorum Jurisdictione. C. de Jurisd. omn. Jud.* quatenus scilicet: per synecdochen partis ipsum totum intelligere licet: divisio tamen ista quasi generis in species contradistinctas, isto jure probari non potest.

XXXVII.

Quamvis enim & Jurisdictio & Imperium, sub eodem genere, potestatis nimirum publicæ, contineantur: tamen sub isto non æqualiter, sed ex altera parte, ut sub propinquo, ex altera ut sub remoto, continentur.

XXXVIII.

Nam Imperium quidem immediatè continetur sub genere potestatis. *l. potestatis. 215. D. de V. S.* Jurisdictio verò mediatè: genere nempe Notionis intermedio: hoc ordine, quòd Jurisdictio sit Notio. *d. l. 5. pr. D. de re judic. & l. 99. D. de V. S.* & Notio demùm potestas publica.

XXXIX.

Plenius ita: Potestas dividitur in Imperium & Notionem: quòd scilicet vel in jubendo, vel in cognoscendo occupetur. Imperium subdividitur in merum & mixtum. *l. 3. D. de Jurisd.* Notio verò in Jurisdictionem, & cognitionem in specie dictam. *supè d. l. 99. D. de V. S.* Quæ cognitio in specie sic dicta, rursus est vel ipsius Magistratus (in causis scilicet specialiter ei commissis, aut extra ordinem expediendis) vel judicum pedaneorum.

X L.

Ex quibus manifestum est, quòd Jurisdictio & Imperium
mixtum

007.
mixtum, non sint species sub eodem genere proximo contradi-
stinctæ: sed species sub alio atq; alio genere comprehensæ.

X L I.

Et necessarium tamen est, ut in doctrinâ de Jurisdictione,
ipsius etiam Imperii mentio & expositio aliqua fiat.

X L I I.

Quia nempe Imperium quoddam ita cum Jurisdictione
conjunctum est, ut hæc sine illo expediti, aut etiam verè & integrè
cognosci ac percipi nequeat. *l. 2. D. h. t. l. ult. in f. D. de off. ej. cui
mand.*

X L I I I.

Est igitur Imperium in genere, potestas jubendi, magistratui
competens. *l. munus. 214. ibi, imperio eius qui jubendi habet potesta-
tem. junct. l. seq. ibi, in persona magistratuum imperium, D. de V. S.
locisque aliis in Coll. Tur. Argent. lib. 2. tit. 1. 0. 31. allegatis.*

X L I V.

Ubi notandum, quod jubendi verbum non qualitercunque,
sed cum effectu sit accipiendum: hoc est, ita, ut nisi jussui pareatur,
etiam cõercitio aliqua sequatur. *l. ult. in f. D. de off. ej. cui mand. ne
elusorium sit Imperium. l. ult. D. ne quid in loc. publ.*

X L V.

Dividitur, ut jam suprà indicatum, in merum & mixtum. *l. 3.
D. h. t.*

X L V I.

Merum quid sit, ex oppositione mixti intelligi potest. Quod
enim mixtum non est, id merum erit. Ut vinum merum dicitur,
quod aquâ, aliõve liquido, non est permistum: & in *l. bona fides 31.
D. de pos. merum jus Gentium vocatur, quod præceptis civilibus vel
prætoriiis non est mixtum.*

X L V I I.

Mixtum autem est, cui Jurisdictio inest. *d. l. 3. D. h. t.* vel quod
Jurisdictioni cohæret, & ei in personâ magistratus, item que causis
expediendis, quodammodo est immixtum. *l. 1. §. ult. D. de off. ej. cui
mand.*

X L V I I I.

Licet enim Jurisdictio & mixtum Imperium, ratione For-
mæ

mae revera sint distincta & separata: ut ex supra positis definitionibus patet: ratione tamen obiecti & subiecti perpetuo sunt conjuncta: Ita quidem, ut circa quod versatur Jurisdictio, circa idem etiam versetur imperium mixtum: & vicissim: Item, ut, quicumque habet Jurisdictionem, idem etiam habeat mixtum imperium, & vicissim.

X L I X.

Offenditur id ratione obiecti, in duobus exemplis maxime evidentibus: danda scilicet bonorum possessione: & judicis dandi licentia. *in d. l. 3. D. h. t.*

L.

Cum enim datio possessionis bonorum (quippe in cognitione potissimum consistens, utrum huic vel illi bonorum possessio sit danda nec ne) solius Jurisdictionis esse videretur: recte monetur *in d. l. 3.* quod in danda bonorum possessione, & imperium consistat. Et facit pro ista sententia, quod bonorum possessionis datio, nec sine omni jussione (imperat autem qui jubet) expediatur. *l. si ita fuerit. 13. §. ult. ibi, in possessionem esse jubebo. D. de man. test. l. si quis legaverit. 121. D. de leg. 1. junct. tit. D. de ventr. in post. mitt.*

L I.

Ac vicissim cum judicis dandi licentia, solius Imperii esse videretur (propter praecepti nimiram auctoritatem, seu judicandi jussum, quod non nisi à Magistratu fieri potest. *l. eum, qui. 13. D. h. t.* & ipsam obtemperandi seu judicandi necessitatem ex praecepto isto provenientem. *l. praetor. 13. §. qui autem. 2. D. de vacat. & excus. mun.*) recte tamen & Jurisdictio & Jurisdictionis esse traditur, *in d. l. 3. D. h. t.* quò scilicet indissolubilibus unio Jurisdictionis & mixti Imperii ratione obiecti, eò certior ac manifestior esset.

L I I.

Ratione verò subiecti, elucet indissolubilis illa Jurisdictionis & mixti Imperii unio, praecipue ex eo, quod sine modica coercionis Jurisdictio nulla sit. *l. ult. in f. D. de off. eius cui mand. & quod mixto Imperio Jurisdictio infit. l. 3. D. h. t.*

L I I I.

Planè in eo est differentia, quòd in aliquibus causis magis occupetur & eluceat Imperium, quàm Jurisdictio: indèque & eadem

dem magis imperii esse dicantur: & quod magistratus aliqui expedire non possint ea quæ magis imperii sunt: indèque ii sine imperio aut potestate (majori scil.) esse dicantur. *l. 4. D. b. r. l. ea quæ magis. 26. D. ad munic. l. nec magistratibus. 32. ibi, qui sine imperio. D. de injur.*

L I V.

Hodiè Doctores plerique Jurisdictionem simplicem & in specie dictam (secundum divisionem *supra* §. 34. propositam) sumunt pro facultate cognoscendi & pronunciandi de causis civilibus: Mixtum autem imperium, in solâ ferè executione sententiarum in causis ejusmodi civilibus dictarum constituunt.

L V.

Merum imperium Ulp. definit, habere gladii potestatem ad animadvertendum in facinorosos homines. *in l. 3. D. b. r.*

L V I.

Ubi per gladium intelligendam esse pœnam gladii indubitatum est. *l. aut damnus. s. §. 1. D. de pœn.* præter gladii verò pœnam eò referendam esse & aliam pœnam quamcunq; crimini adæquatam, patet ex eo, quod præter ultimum supplicium & aliæ sint pœnæ, quæ reis pro crimine imponi & infligi solent. *l. capitalium. 28. pr. & §. 1. D. de pœn.* circa quas omnes imperium merum versatur.

L V I I.

Et convenit quidem merum imperium cum Jurisdictione criminali in eo, quòd utrumque versetur circa crimina, pœnasque iis imponendas: sed ratione subjecti non eo, quo Jurisdictio & mixtum imperium, modo, ista duo concurrunt aut coherent.

L V I I I.

Licet enim interdum fiat, ut idem magistratus, qui cognitionem de criminibus seu Jurisdictionem criminalem habet, habeat etiam merum imperium seu sumendi supplicii potestatem: exemplo præfectorum urbi & præsidum. *l. 1. §. ult. D. de pœn.* Tamen nec illud in Rep. Rom. fuit infrequens, ut is, qui cognitionem de criminibus haberet, non simul etiam haberet merum imperium: sed cognoscere quidem & statuere de criminibus posset; executionem autem pœnæ alii magistratui, merum imperium habenti, committeret atque relinqueret.

59. Sic

L I X.

Sic enim Prætor cognoscere quidem de suspectis tutoribus poterat: §. 1. *Inst. de susp. tut. l. 1. §. 3. D. eod.* majoris autem animadversionis causâ, si qua opus esset, ad præfectum urbi reos remittere necesse habuit: §. *sed si quis 10. & seq. Inst. d. t. d. l. 1. §. ult. & l. seq. D. eod.*

L X.

Sic & Præses, cognitionem quidem de effraCTORIBUS horreorum habuit: majoris autem animadversionis causâ, ad præfectum prætorio reos remisit. *Lex Divi. 4. C. de locat.*

L X I.

Ita planè, ut cognitio criminum, seu Jurisdictionis criminalis, quamvis non sine omni admixto imperio fuerit: (aliquam enim jubendi potestatem ac mixtum imperium, & eum qui de crimine cogniturus sententiâq; dicturus erat, habuisse oportet propterea, quod ipsam cognitionem, nec instituere, nec absolvere potuisset; nisi & reos annotari, inquiri, capi; itemq; testes produci, examinari; reos quæstionibus subjici &c. jubere potuisset.) fuerit tamen interdum, adeoque & per se esse potuerit, sine imperio illo, quod in executione sententiæ super criminibus dictæ consistit: & eâ ipsam ob causam merum, hoc est, à Jurisdictione & criminum notione separatum vocatur.

L X I I.

Nec turbet hîc: quòd & in civilibus causis, penes alium cognitio sententiæq; dictio; penes alium executio esse possit: indeq; secundum rationem prædictam dicendû esset, quod & illud imperiû, quod in separatâ rei, in causâ civili judicatæ executione consistit, appellationem meri mereatur. Quod tamen nemo dixerit.

L X I I I.

Nam I. nondum apparet, quod jure civili veteri, ex quo appellatio ista defluxit, tale quid in causis civilibus fieri fuerit solitum: (imò aliud facilius colligetur, ex l. à Divo Pio. 15. pr. D. de re jud. Coll. Jur. Argent. lib. 42. tit. 1. §. 91.) quemadmodum id solitum in causis capitalibus apparet, ex l. 2. §. *ex actis. 16. D. de O. l. II.* Nec ex eo, quod postea aliquid sive circa civilium, sive circa criminalium causarum processum & executionem, mutatum ostendi possit: protinus etiam à loquendi modo, quem antiquior aliqua ratio introduxit,

606
xir, recedi oportebit. Cum novum non sit, etiam mutare, anti-
quum tamen nomen retineri. *exemp. l. insula. § 6. in f. D. de acquir.*
rer. dom. III. Ad minimum remansit reliquum illud discrimen,
quod nullum imperium merum Jurisdictioni inferviat: cum mix-
tum ei infervire negari non possit.

L X I V.

Hodiè, licet nec de sint exempla, quibus penes alios Jurisdic-
tio criminalis, seu inquirendi, cognoscendi & statuendi de crimi-
nibus potestas est: penes alios autem exequendæ sententiæ capita-
lis auctoritas residet: plerunq; tamen merum imperium, & Jurisdic-
tio criminalis pro iisdem sumuntur: fortè ex eo, quod ut pluri-
mū duo ista conjuncta, iisdemq; personis tributa deprehendantur.

Atq; hæc sunt, quæ pro disputatione de Jurisdictione pro-
ponere volui: quibus rectè expeditis, reliquam omnem tractatio-
nem faciliorem fore confido.

C O R O L L A R I A.

I.

AN contra Imperium Romanū currat præ-
scriptio? *Dd. communiter id negatum eunt.*
Sed ea sententia mihi parū concludens videtur.

II.

*Tiberius scripsit Romanis, perjurium non
aliter estimandum, quàm si quis fo-rem fefellif-
set. Tacit. lib. i. Annal. Nunquid ergo nulla
omniò pœna in perjuros statuenda? Resp. in Re-
publ. bene constitutà talis animadversio & uti-
lis & necessaria videtur.*

III.

*Si quis decedat duobus relictis filiis, quorum
alter*

alter ante acquisitum à parte regnum, alter postea natus est, quaritur, uter praefendus? Resp. quem natiuitas fecit priorem, is in successione debet esse potior.

I V.

Vtrum ex statutis Principum Germania nascantur actiones Pratoriae, seu, utrum eorum statuta habeantur pro Edictis pratorii? Neg.

V.

An princeps sit solutus legibus? Affirm.

V I.

Num iudex, cui veritas patefacta, in iudicando siue decidendo, secundum acta & probata, an vero secundum suam conscientiam iudicare tenetur? Poster. affirm.

AD NOBILISS. ET PRAESTANTISS.

DN. GABRIELEM ÖLHAFIUM à Echdenbach / Patricium Noricum, contubernalem & Amicum intimum.

Nil olei ferrus tranquillius esse liquore,
Vnde tibi nomen fata dedere tuum.
Cur igitur tubella mores, nec pacis amantem
Te praestas? signum pacis oliva fuit.
Sed fateor, tua sunt sine cade & sanguine bella,
Tu pugnam Themide scepra gerente subis.
O si non aliud nosset Germania bellum,
Non adeo nostrae diriperentur opes.
Bella cruenta gerat Marvros, tu signa sequaris
Palladus, & magnus sic quoque miles eris.

Singularis affectus testandi causa f.

Sigismundus Gabriel Holtschucher/
von Rewenburg.

F I N I S.

RA-SSBURG, Diss., 1627-29

ULB Halle 3
004 527 275




56

107







B.I.G.

Farbkarte #13

RIDICA

599.
7x

IONE.

1627/11.
XIII.

A.

ltissimo

LOCAMERO,
ARGENTORA-
berrimo, Fautore
ernum

proponit

Schölenbach/

C.XXVII.

I,
EDERTZ,

23